manuscript

Seite 38v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



indomitos blanda prius manu tangimus. Ut eos nobis ple
nius postmodum etiam per flagella subiugamus. et amaro
pigmentorum poculo mellis dulcedo subiungitur. ne ea que sa
luti profutura est in ipso gustu aspera amaritudo senciat. Dum
vero gustus per dulcedinem fallitur. humor mortiferus per
amaritudinem vacuatur. Ipsa vero in elatis inuectionis ex
ordia permixta laude sunt temperanda. Ut dum admittunt fauo
res quos diligunt. etiam correpciones accipiant quas oderunt.
Plerumque persuadere elatis utilia melius possumus. si profectum
eorum nobis potius quam illis profuturum dicamus. si eorum
melioracionem nobis melius quam sibi impendi postulemus.
Facile enim ad bonum elacio flectitur. si eius et aliis inflectio prodesse
credatur. Unde et moyses qui regente se deo deserti iterum
duce aerea columpna pergebat. Cum Ietro cognatum suum a
gentilitatis conuersacione vellet educere. et omnipotentis dei
dino subiugare. ait Proficiscimur quem daturus est nobis
dominus. Veni nobiscum ut benefaciamus tibi. quia dominus
bona promisit israeli. Et cum respondisset ille. non vadam
tecum. Sed reuertar in terram in qua natus sum. illico adiun
xit. Noli nos relinquere. Tu enim nosti in quibus locis per
desertum castra ponere debeamus. et eris ductor noster. Neque
enim moysi mentem ignorancia itineris angustabat. quam
ad prophete sinam cognicio diuinitatis expanderat. quam columpna
exterius preibat. quam de cunctis interius per conuersacionem
cum deo sedula locucio familiaris instruebat. Sed videlicet
vir prouidus elato auditori colloquens solatium petiit. Ut
daret. ducem eum requirebat in via. Ut dux ei fieri potu
isset ad vitam. Egit ergo ut superbus auditor voci ad me
liora suadenti eo magis fieret deuotus quo putaretur
necessarius et vnde si exhortatorem suum precedere crederet.
inde se sub verbis exhortantis inclinaret

1.42.m

Aliter amonendi sunt
pertinaces aliter inconstantes. Illis dicendum est
quod plus de se quam sunt sentiunt. et idcirco alienis
consiliis non acquiescunt. Istis vero intimandum est.
quod valde se despicientes negligunt. et ideo leuitate cogita
cionum a suo iudicio per tempus momenta flectuntur. Illis